

hujusmodi, imo vero Apostolicis non parueritis cum effectu, per dictos sex dies canonica monitione praemissa, ex nunc prout ex tunc ingressum Ecclesiæ interdicimus in his scriptis. Si vero praefatum interdictum per alios sex dies praefatos sex immediate sequentes sustinueritis, vos ex nunc prout ex tunc suspendimus a Divinis. Verum si praefatas interdicti & suspensionis sententias per alios sex dies praefatos duodecim immediate sequentes substinentur, quod absit, animo indurato; vos ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, propter hujusmodi contemptum, in his scriptis dicta Apostolica auctoritate qua fungimur in hac parte, excommunicationis sententia innodamus, non obstantibus in praemissis omnibus his, quæ praefatus D. N. per dictas suas literas voluit non obstat.

Ceterum, cum ad exsecutionem hujusmodi mandati Apostolici ulterius faciemus, pluribus aliis negotiis praepediti vacare non possimus, universis & singulis DD. Abatibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Cantoribus, Thesaurariis, Scholaisticis & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Castellanæ, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, Vicariis, Presbyteris, Curatis, Clericisque ac Notariis publicis quibuscumque per civitatem Venetiar. & Diœc. Castellanam, & alias ubilibet constitutis, quibus & eorum cuiilibet in solidum super ulteriori exsecutione praedicti mandati Apostolici atque nostri, ac omnibus & singulis nobis in hac parte commissis, dicta auctoritate praesentium tenore nostras vices plearie comittimus, donec eas ad nos duxerimus revocandas. Quibus praedictis, & cuiilibet ipsorum sub excommunicati-